

EIUSDEM AUCTORIS :

Les Doublets de Saint Thomas d'Aquin: leur étude méthodique, quelques réflexions, quelques exemples, in-16, 166 p., Paris, Beauchesne, 1926.

Theologia spiritualis, ascetica et mystica: Fasc. I, Introductio in studium theologiae asceticae et mysticae, in-8, 98 p., Romae, Universitas Gregoriana, 1926.

De Christi Ecclesia, ed. altera, in-8, 350 p., Romae, Universitas Gregoriana, 1928.

Etudes de Théologie Mystique, in-8, VIII-320 p., Toulouse, Revue d'Ascétique et de Mystique, 1930.

P. Callistus Smith O.P.M.

PONTIFICIA UNIVERSITAS GREGORIANA

DOCUMENTA

ECCLESIASTICA


CHRISTIANAE PERFECTIONIS

STUDIUM SPECTANTIA

COLLEGIT

IOSEPHUS DE GUIBERT S. I.

PROFESSOR IN PONT. UNIVERSITATE GREGORIANA



ROMAE
APUD AEDES UNIVERSITATIS GREGORIANAE
Piazza della Pilotta
1931

LIBRARY

et execrabilem, et institutiones ac documenta in eo tradita utpote prava, falsa et nefaria de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica reprobamus et in perpetuum condemnamus, districte praecipientes, ut quicumque libellum ipsum habuerit, eum infra octo dies, ex quo huiusmodi nostram reprobationem et condemnationem sciverit, prorsus in toto et in qualibet sui parti comburere et abolere procuret. Et in illos qui huius nostri praecepti fuerint contemptores, excommunicationis sententiam promulgamus, firmiter in virtute obedientiae prohibendo, ne quisquam praedictum libellum ore apostolico iam damnatum approbare vel quomodolibet defensare praesumat. Si quis praesumpserit, tanquam contumax, inobediens et rebellis Romanae Ecclesiae ab omnibus fidelibus habeatur, et nos nihilominus alias contra eum taliter procedemus, quod poena condigna temerarium feriet, et alii ea perterriti a similibus frenabuntur.

Nulli ergo, etc., nostrae reprobationis, condemnationis, praecepti et inhibitionis, etc. Si quis autem, etc.

[1256, 23 oct.] **Capitula iureiurando firmata ab Odone de Duaco et Christiano Belvacensi**

(DENIFLE-CHAT., I, n. 293, p. 339; CAVALLERA, n. 415)

195. — ... *Quinto*, quod tam in Romana Curia quam Parisius bona fide ac sine fraude non adiciendo aliquid scienter, quod sapiat aliquid principaliter vel consequenter, sed ista quae eis in hoc articulo iniunguntur praedicent publice et in civitate Parisiensi pluries et in diversis locis, et assererent fideliter in ipsis praedicationibus infrascripta, scilicet: quod reprobent libellum in ipsis praedicationibus, qui nuper fuit per Summum Pontificem condemnatus, et errores in ipso contentos, qui sunt contra infrascripta, quae in ipsis praedicationibus asserant et affirmant, videlicet:

196. — De potestate Romani Pontificis, quod possit praedicatores et confessores mittere ubique per mundum iuxta suae beneplacitum voluntatis sine consensu inferiorum praelatorum quorumcumque seu parochialium sacerdotum;

item quod archiepiscopi et episcopi in suis dioecesibus licentiam dare possint praedicandi et confessiones audiendi sine consensu inferiorum sacerdotum vel rectorum ecclesiarum, cum viderint expedire, quodque praedicatores et con-

fessores sic missi possint libere praedicare et licite confessiones audire ac absolvere poenitentes.

Item de mendicitate, quod status mendicitatis propter Christum est status salutis et perfectionis.

Item quod religiosi pauperes, qui omnia relinquunt propter Christum, possunt mendicando acquirere victum suum sine labore manuum, etiamsi sint validi corpore, maxime qui student verbo Dei, legendo, disputando, praedicando.

Item quod ea, quae continebantur in libello praedicto et quibusdam articulis a magistro Christiano praefato confectis, quae explicite vel implicite videbantur seu poterant in praedictorum ordinum infamiam redundare, sicut de pseudopropheta et apostolis et de nuntiis antichristi, de penetrantibus domos et periculis novissimorum temporum, non intelligunt nec intellexerunt de fratribus ordinum praedictorum, quod tales ipsi sint vel fuerint vel etiam sint futuri, sed fateantur ordines ipsos esse bonos et ab Ecclesia approbatos, et inter cetera asserant et affirmant, quod Deus hoc ipsum per manifesta indicia nostris temporibus comprobavit, nonnulla miracula, scilicet quae per Sanctos utriusque ordinis sanctorum catalogo per Romanam Ecclesiam canonice legitime, fideliter ac rite adscriptos, est misericorditer operari dignatus.

In cuius rei testimonium ego praefatus Bernardus apostolicae sedis auctoritate notarius, qui praemissis rogatus interfui, de mandato dictorum dominorum cardinalium hoc praesens publicum instrumentum propria manu scripsi ac in publicam formam redegi et signum meum apposui.

XXII. — DAMNATIO FRATRUM DE LIBERO SPIRITU

197. — *Fratres de libero spiritu (vel de novo spiritu, de alto spiritu) non videntur fuisse secta definita et constituta ut Valdenses vel Cathari: sed potius videtur hoc nomen datum esse variis coetibus pseudo-mysticis, qui conveniebant inter se quoad plures conceptus pantheisticos et antiecclesiasticos, praesertim vero docebant varias formas quietismi maxime absoluti. De iis cf. VERNET in DTC. VI (1915) 360-369; RE. 3, 467 ss.; I. v. DÖLLINGER, Sektengeschichte des MA.,*

München (1890), t. 2, 378 ss.; 707 ss., ubi plura documenta de erroribus eorum.

Contra eos pugnaverunt, Suso, Taulerus, praesertim vero B. Ioannes Ruysbroeck (Ornement des Noces, II, 76-77, trad. Bénéd., Bruxelles 1920, t. 3, p. 199-206). Praecipuum autem documentum habetur in collectione Ps. Rainerii (Anonymus Passaviensis) cum 97 propositionibus damnatis, quae iam editae sunt a W. PREGER, Geschichte der deutschen Mystik im MA., Leipzig, 1874, I, p. 461-471 et ab I. v. DÖLLINGER, Sektengeschichte, t. 2, p. 395 ss., ex duplici manuscripto Monacensi [Clm. 311, fol. 91 r-93 v (A), et Clm. 9558, fol. 121 r-124 v (B)].

Haec «*Compilatio*» iam a PREGER B. Alberto Magno adscripta, eidem expresse tribuitur in Mss. Moguntino 331, fol. 62-68 [cf. H. HAUPT, in ZEITSCHR. F. KIRCHENCESCH., t. 7 (1884-85), p. 503-508], videturque ab eo pro Inquisitoribus edita, forte durante episcopatu suo (1260-62).

Textus datur hic iuxta collationem Mss. Moguntini (M) factam ab HAUPT (loc. cit., p. 556-59), collatisque duobus codicibus Monacensibus, longe deterioribus, quibus usi sunt PREGER et DÖLLINGER, et ex quibus eae tantum notatae sunt lectiones quae sensum mutant nec sunt manifesta menda.

Subiungitur Bulla Bonifacii VIII anni 1296 in qua damnantur errores sat similes: quidam putaverunt hanc bullam dirigi contra Apostolicos, at rectius hoc negandum videtur cum VERNET (DTC. VI, 804): cum enim Bonifacius VIII hoc eodem anno bullam direxerit contra Apostolicos expresse eos nominando, videtur etiam in ea nominaturus esse eos. Potius ergo putandum videtur referendam esse hanc bullam ad coetum illum fratrum de libero spiritu quem postea iterum damnavit Clemens V, die 1 aprilis 1311 explicite commemorando hanc spiritus libertatem (RAYNALDI, anno 1311, n. 66).

[1260-62?] Albertus Magnus, Episcopus Ratisbonensis

Haec est determinatio magistri Alberti quondam Ratisbonensis episcopi ordinis Fratrum praedicatorum, super articulis inventae haeresis in Recia dioecesis Augustensis.

[A et B: *Compilatio de novo spiritu: haec continet C errores minus tribus*].

198. — 1. Conventicula facere et in secreto docere, — contra fidem non est, sed contra modum evangelicum, ubi dicitur [Ioan. 18, 20]: *Ego semper palam docui et ubi omnes Iudaei conveniunt, et in abscondito locutus sum nihil*. Mt. X [27]: *quod in aure auditis, praedicabitur*.

1-a. Quod dicitur, quod homo in via certus sit de sua salute, — contra nullum articulum fidei est, sed contra veritatem Scripturae, quae dicit Eccles. IX [1]: *nemo scit utrum amore vel odio dignus sit*; et si obicitur, quod dicit Apostolus Rom. VIII [38]: *certus sum, quod neque mors neque vita separabunt me a caritate Christi*, solvit glossa, quod loquitur de certitudine praesumptionis per signa.

2. Quod dicitur quod bonus homo dicere vere potest gratiam se habere et non habere — contra primum principium omnis veritatis est, quod de quolibet vel negationem vel affirmationem necessarium est esse veram, et de nullo simul.

3. Quod dicitur quod XXIV *Paternoster* praevalent miserae sacerdotis — contra dignitatem est sacramenti, cui, sicut dicit Augustinus in IV *de Trinitate*, in bonis nil praefertur; et Gregorius nihil Deo acceptius esse dicit quam Filium offerre.

4. Dicere promissas orationes non debere solvi, — est dicere mendacium licite posse fieri.

5. Quod dicitur, quod alicui responderit omnium spirituum veritas, — magis praesumptionis et fatuitatis verbum est, quam haeresis.

199. — 6. Dicere quod homo faciat mortalis peccati actum sine peccato, — praesumptio est Manichaei, ut dicit Eustachius episcopus. Praeterea sibi sermo repugnat: facere enim mortalis peccati actum peccare est, et sic contingeret, hominem peccare sine peccato.

7. Dicere quod anima sit sumpta de substantia Dei. — Manichaeorum haeresis est, ut dicit Augustinus. Manichaeus enim dixit, Deum lucis immortalia fecisse de se ipso. Haec haeresis tamen ante Manichaeos quorundam fuit philosophorum.

8. Dicere non debere suffragia fieri pro animabus determinatarum personarum, sed illis quibus Deus cupit, — contra approbationem Ecclesiae est et canones sanctorum. Beatus enim Gregorius pro monacho proprietario sed paenitente, post mortem, XXX missas celebrandas statuit et sic liberavit eundem [*Dialog. IV, 55*].

9. Quod dicitur, confessionem venialium non esse necessariam, — verum est, sed non docendum, quia licet non sit

(⁹) *Add.*: veniale enim culpa non est, sed dispositio ad culpam B

necessaria, tamen perutilis est cum dicatur, quod bonarum mentium est ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est.

10. Quod dicitur quod familiaris fuit suspectis et haeresi infectis, — suspicionem generat quod sit haereticus et pro certo excommunicatus.

200. — 11. Dicere quod aliquis veniat ad hoc quod Deo non indigeat, — blasphemia est in Deum, quo omnis creatura indiget, quia aliter in nihilum decideret, ut dicit Gregorius; propter quod dicitur Hebr. I [3]: *portans omnia verbo virtutis suae*. Act. XVII [28]: *In Christo vivimus movemur et sumus*.

12. Dicere quod aliquis super caritatem ascendat, — cum caritas summum sit et in via et in patria, de haeresi Pelagii est, qui in illa perfectione se posuit, quae haeresis in Nicaena Synodo condemnata est.

13. Dicere quod mulier facta sit Deus — et haeresis est, et blasphemia, et est de haeresi Pelagii, sicut et antecedens, Pelagius enim dixit: non invideo filio Dei, quia ego quando volo possum esse filius Dei et Deus, et hoc dicit Augustinus de Pelagio.

14. Idem est quod dicitur quod homo possit fieri Deus.

15. Ad idem reducitur, quod dicitur quod homo ad talem statum potest pervenire quod Deus in ipso omnia operetur. — Aliquid enim operis datur naturae et aliquid concupiscentiae, sine qua nemo est. Unde in I Ioannis, I [8]: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus et veritas in nobis non est*. Rom. VII [19]: *Non enim quod volo id facio, sed quod nolo id ago*. Quod autem Deus operetur peccatum, blasphemia est.

201. — 16. Ad idem redit quod dicitur, quod homo tantum proficiat, quod sacerdote non indigeat. — Solius enim Filii Dei est clavibus non indigere, quae sacerdotali officio commissae sunt, et hanc similitudinem Pelagius ad similitudinem Dei praesumpsit.

17. Ad idem redit dicere non debere quaeri consilium a viris litteratis, sive de devotione sive de aliis. — De eadem praesumptione Pelagii est, qui suum sensum consilio Scripturae praeposuit.

18. Dicere aliquem, quod videat in alio conscientiae secretum, — contra veritatem evangelii est; unde dicitur, quod

(15) *Deus in ipso*: in peccato B

nemo novit cogitationes nisi solus Deus. De futuro autem fine, qualis futurus sit, nemo potest scire, sicut dicit Augustinus.

19. Quod dicitur, quod homo non est bonus, nisi dimittat Deum propter Deum, — similiter de Pelagii stultitia est.

20. Dicere haereticum esse in via recta, — de eadem haeresi est, quae in hoc omnibus aliis haeresibus convenit.

202. — 21. Dicere quod aliquis pervenit ad hoc, quod non possit peccare, — similiter est de Pelagii praesumptione.

22. Dicere aliquem ad hoc devenire, quod sanctos non oporteat revereri, — Pelagii haeresis est.

23. Item quod anima alicuius, etiam facientis eadem cum Christo, aequetur animae Christi, — haeresis Pelagii est, cum gratia Christi sit unionis ad esse, quod vere dicitur: hic homo est Deus. Gratiae autem aliorum sunt gratiae adoptionis, ut scilicet adoptentur, non ut sint Deus.

24. Dicere quod homo unitus Deo peccare non possit, — tollere est liberum arbitrium ab homine, quod dicit Augustinus esse haeresim Tertullii.

25. Quod anima Deo unita deficiatur, — etiam Pelagii est, qui putabat se in Deum transformari.

203. — 26. Dicere ieiuniis et orationibus non esse insistendum, — item Pelagii est, cum Evangelium laudet Ananiam, quod non discedebat de templo ieiuniis et orationibus serviens Deo die ac nocte.

27. Ad idem redit dicere hominem posse fieri aequalem Deo vel animam fieri divinam.

28. Dicere quod homo unitus Deo sit venerandus ut Christi corpus, — et blasphemia est, et Pelagii haeresis; gratia enim unionis praefertur omnibus gratiis adoptionis; unio enim divinitatis ad corpus est immediate sicut et ad animam.

29. In idem redit quod aliquis dicat se Deum in Deum recipere, quando recipit sacramentum altaris; non enim ipse est Deus per gratiam adoptionis; sicut adoptatus vere non est filius.

30. Ad idem est quod aliquis praeferatur et Deo aequetur. Pelagius enim haec dixit.

204. — 31. Dicere quod homo in devotione possit prae-cellere Beatam Virginem, — Pelagii haeresis est; eo quod Beata Virgo sola excepta sit, quod nunquam motum peccati senserit, qui devotionem suam impedire potuerit.

32. Eiusdem haeresis est dicere ad se non pertinere cogitare de parasceve vel de aliis feriis quas celebrat Ecclesia.

33. Eiusdem praesumptionis est dicere: hoc non loquor ego, sed spiritus in spiritu.

34. Quod dicitur quod orationes promissas non licet solvere, — est mendacium in doctrina veritatis, quod Augustinus in libro de mendacio perniciosissimum dicit esse; et est etiam homines ab oratione retrahere, quod in hoc haeresis est, quia contra sacram scripturam est. I. uc. XVIII [1]: *Oportet semper orare et non deficere*. I ad Thessal., ultimo [5, 17]: *Sine intermissione orate*. Iac V [16]: *Orate pro invicem ut salvemini, multum enim valet deprecatio iusti assidua*. Et Gregorius in glossa Gen. XXVII dicit, quod praedestinatio Dei iuvatur orationibus sanctorum.

35. Quod dicitur ne secreta verba aliis publicentur, — suspectum est. Ioan. III [21]: *Qui bene agit venit ad lucem ut manifestentur opera eius quoniam in Deo sunt facta*, et ibidem: *Qui male agit odit lucem*. Hieronymus: *Omnis religio sit tibi suspecta quae praecepta et regulas manifestare non audet*.

205. — 36. Quod dicitur quod homo secundum voluntatem fiat Deus, — de haeresi Pelagii est. Manifeste et expresse et pluries Lucifer hoc concupivit et eiectus est.

37. Quod dicitur quod cum corpore fiat Deus bonus homo, — si intelligitur per aequalitatem sanctitatis, haeresis Pelagii est; si intelligitur localiter, fatuitas et mendacium.

38. Qui dicit se non comedisse cum comedit, — mentitur.

39. Quod dicitur, quod homo unitus Deo non habet sanctos revereri, — de errore Pelagii est. Iob. V [1]: *Ad aliquem sanctorum convertere*.

40. Quod dicitur: resurrectio non est futura, — error est Manichaei, quem destruit Augustinus in libro Contra epistolam fundamenti.

206. — 41. Quod dicitur quod homo unitus Deo non debeat confiteri etiam peccatum mortale, — de errore Manichaei est, qui in hoc et in aliis aufert sacramenta Ecclesiae.

42. Quod dicitur quod homo elevetur cum corpore Domini in altari, — non posset esse nisi translatus esset, quod fatuum est et error, et sapit haeresim Pelagii.

43. Quod dicitur quod homo unitus Deo licite possit tollere rem alienam, — mendacium est in doctrina veritatis. Talis enim plus peccat aliena tollendo quam non unitus, in

quantum maioris gratiae contemptor est, propter quod dicit Augustinus, quod quanto altior est gradus, tanto profundior casus.

44. Quod dicitur quod Deo unitus non debeat ieiunare vel orare, — Pelagii error est; cum Helias, Moyses et Christus, maxime Deo uniti, ieiunaverunt et oraverunt.

45. Quod dicitur quod nec angelus sit, nec daemon, — antiqua haeresis est Essaeorum, quam Christus in evangelio et Nicaena synodo condemnavit.

207. — 46. Quod dicitur purgatorium et infernum non esse, — haeresis est Saducaei.

47. Qui dicit divinitatem separatam esse a corpore Christi, — de haeresi est Nestorii et Eutychis, et Pauli cuiusdam Symochei [Samosatani?], qui de antiqua haeresi Arii propagati sunt.

48. Qui dicit Christum non resurrexisse, — Manichaeus est.

49. Dicere quod homine comedente Deus comedit, — blasphemia est et haeresis Pelagiana.

50. Dicere quod orationes, ieiunia, confessiones peccatorum impediunt bonum hominem, — mendacium est in doctrina veritatis; quod inter omnia mendacia perniciosissimum est cum ieiunio occiduntur pestes corporis et oratione pestes mentis, et confessio remedium sit contra utrumque; et de errore Donati est, qui in Nicaena synodo condemnatus est, ut dicit Augustinus, de baptismo parvulorum.

208. — 51. Dicere quod sanguis boni hominis venerandus sit ut sanguis Christi, — haeresis Pelagii est.

52. Dicere quod licite comedantur tempore ieiunii prohibita ab Ecclesia sicut caseus et ova, — haeresis Pelagii est, et contra claves Ecclesiae; a clavibus enim Ecclesiae procedit quod ieiunia Ecclesiae venerabiliter sunt tenenda.

53. Dicere quod soluta concumbendo cum soluto, non plus peccat quam admittendo matrimonialiter, — haeresis est Ioviniani, cuius haeresis a Manichaeis est propagata, ut dicit Hieronymus in libro contra Iovinianum.

54. Dicere puerum ex licito concubitu genitum sine macula esse, — est praedicare concupiscenciam maculam non esse; haeresis est cuiusdam Iuliani, qui fuit discipulus Pelagii, ut dicit Augustinus in libro contra Iulianum Pelagianum.

55. Dicere peccatum non esse peccatum, — error Pelagii est, et mendacium in doctrina veritatis. I Ioan. I [3]: *Si*

dixerimus quod peccatum non habemus, nos ipsos seducimus etc.

209. — 56. Dicere quod ad hoc perveniat homo quod Deus per eum omnia operetur, — Pelagii error est. In idem redit, quod dicitur, quod homo possit fieri Deus cum Deo et ipsum penetrare. Dicere hominem posse fieri altiore filio Dei et Ariani haeresis est et Pelagiani, qui etiam Pelagius primo Arianus fuit, ut dicit Augustinus.

57. Dicere Spiritum Sanctum esse negociatorem et dicere Spiritum sanctum esse servum vel ministrum, — Nestoris haeresis est, quae in Constantinopolitana synodo condemnata est.

58. Dicere quod homo aequetur Patri et transcendat Filium, — non tantum de haeresi Pelagii est, sed etiam diabolicum. Lucifer enim dixit: similis ero altissimo.

59. Dicere Christum non doluisse in passione, — est dicere quod Christus non fuerit homo nisi secundum phantasma, et hoc est haeresis Nestorii et Euticis.

60. Dicere quod angeli non sunt lapsi de caelo, — contra veritatem Evangelii est. Luc. X [18]: *Videbam Satanam sicut fulgur de caelo cadentem*; II Petr. II [4]: *Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum reservavit cruciandos*; est autem de haeresi Essaeorum.

210. — 61. Dicere quod nihil sit peccatum nisi quod reputatur peccatum, — haeresis Pelagii est.

62. Dicere, angelos non esse nisi virtutes et daemones non esse nisi vitia, — haeresis est Essaeorum.

63. Dicere quod hoc quod fit sub cingulo a bonis non sit peccatum, — haeresis est Heliotistae [?] qui fuit discipulus Iuliani Pelagiani.

64. Dicere peccata non debere confiteri sacerdoti, — contra veritatem evangelicam est; Dominus enim misit leprosos ut ostenderent se sacerdotibus [Lc. 17, 14]. Est autem de errore Manichaei.

65. Dicere non oportere inclinare corpori Christi, eo quod homo Deus sit, — Pelagii haeresis est.

211. — 66. Dicere quod hoc quod faciunt homines, ex Dei ordinatione faciunt, — haeresis est eorum, qui dicunt

(⁶⁴) peccare bonum confitendo sacerdoti AB

(⁶⁶) quod quidquid faciunt AB

omnia provenire ex necessitate, et nihil ex permissione divina, et est error cuiusdam Alexandri.

67. Dicere non esse memorandam passionem Christi Domini, — et impiissimum, et haereticum est; cum nihil ita sit memorandum. Thraenorum III [19]: *Recordare paupertatis meae, absynthii et fellis*. Est et error Manichaei et Nestoris, qui dicunt, Christum vere non passum fuisse, et ideo non sunt curanda quae de passione eius dicuntur.

68. Quod de morte patris et matris non sit dolendum, nec pro animabus eorum orandum, — et inhumanum est, et errorem continet Manichaei, qui dixit suffragia animabus non prodesse.

69. Dicere bono homini non esse peccatum periurare et mentiri, — cum illi plus peccatum sit quam alii, Pelagii est insania, qui etiam impeccabilem dicit hominem.

70. Dicere quod parvum sit Beatae Virginis meritum, eo quod homo super Deum possit ascendere, — blasphemia est et Pelagiana haeresis, et diabolica praesumptio.

212. — 71. Non audere dicere quod reputas malum apud haereticos, — latebras est quaerere propter doctrinae turpitudinem.

72. Dicere quod ei qui admittitur ad amplexus divinitatis, detur potestas faciendi quod vult, — Pelagianum est.

73. Dicere quod melius est hominem unum ad talem perfectionem ducere quam centum claustra construere, — factum est et Pelagianum.

74. Dicere quod homo possit transcendere Beatae Virginis meritum, et fieri Deus, et Deo non indigere, — Pelagii insania est. Et quod opus peccati peccatum non sit bono homini, — etiam doctrina Pelagii est.

75. Quod vero angelus non cecidisset, si bona intentione fecisset quod fecit, — haeresis Manichaei est.

213. — 76. Dicere quod omnis creatura sit Deus, — haeresis Alexandri est, qui dixit, materiam primam et Deum et noym [νοῦν] hoc est mentem, esse [idem] in substantia; quem postea quidam David de Dignando secutus est, qui temporibus nostris pro hac haeresi de Francia fugatus est, et punitus si fuisset deprehensus.

77. Dicere hominem Deum esse, et ideo non esse tangendum, — Pelagii insania est.

78. Dicere hominem debere abstinere ab exterioribus, et sequi responsa spiritus intra se, — haeresis est cuiusdam

Ortlibi, qui fuit de Argentina, quam Innocentius III^{us} condemnavit.

79. Dicere quod confessio impedit perfectum, — est contradicere clavibus Ecclesiae, quod de errore Manichaeorum propagatum est.

80. Dicere quod homo translatus in Deum et peccans mortaliter, ex peccato adminiculum habeat ad Deum, — si per se intelligatur, absurdum est; si per accidens, quia scilicet fortior resurgat, dubium est et simplicibus dicendum non est, qui inter per se et per accidens distinguere nesciunt. Peccans enim mortaliter, per se habet causam cadendi et a Deo recedendi; adminiculum autem ad Deum redeundi non habet nisi per accidens, non peccati, sed poenitentiae, quia scilicet habet materiam maioris doloris.

214. — 81. Dicere oscula virorum et mulierum solutorum non esse peccatum, — mentiri est in doctrina veritatis. Eph. V [4]: *Neque scurrilitas aut turpitude*. Glossa: quae est in oculis et amplexibus.

82. Dicere quod diabolus non afficit animam dulcedine, — mentiri est in doctrina veritatis. Augustinus enim dicit, quo inmiscet se soporibus et sanguini ut dulcedine afficiant.

83. Dicere hominem liberum esse a X praeceptis, — mendacium est in doctrina veritatis. Ioa. XIV [15]: *Si diligitis me, sermones meos servate*. Ibi Gregorius: Probatio dilectionis, exhibitio est operis, et idem: in dilectione conditoris, lingua manus requiratur.

84. Dicere quod homo communicans, quando ad hominem vadit, Deum ad Deum portat, — est Pelagii haeresis.

85. Dicere sanguinem hominis aequandum esse sanguini Christi, et virtutibus non provehi nec peccatis impedi, — Pelagianum est.

215. — 86. Dicere quod aliquam receperit gratiam maiorem quam homo habuerit vel habiturus sit, — Pelagii insania est et fatuitas.

87. Dicere non esse cogitandum de peccatis commissis, — mendacium contra doctrinam veritatis est. Isaiae XXXVIII [15]: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae*. Psalmus [50, 5:] *Peccatum meum contra me est semper*.

(80) nisi per accidens, nempe peccati sui poenitens, quia AB

88. Dicere in Retia esse veritatem, — haeresis Donati est, qui dixit Deum esse in Africa et non alibi.

89. Dicere quod orationes cedant bonis et non peccatoribus, — mendacium est contra veritatis doctrinam, cum Stephanus Paulo primam gratiam impetraverit ut dicit Ambrosius.

90. Dicere quod aliqua lactet puerum Iesum cum matre usque ad lassitudinem et defectum, — fatuitas est verberibus potius quam verbis corrigenda.

216. — 91. Dicere Dominum non laniatum fuisse in passione, — Manichaei haeresis est.

92. Dicere ancillam vel servum posse dare res domini sui sine licentia, — mendacium est contra doctrinam veritatis, et est haeresis Nicolaitarum, qui dicebant omnia esse communia.

93. Dicere Beatam Virginem digne inclinare homini, — blasphemia est et Pelagii haeresis.

94. Dicere quod homo sic proficere possit ut inpeccabilis fiat, — mendacium est in doctrina veritatis. [Item quod ita deficiatur de salute aliquis quod peccata ei nocere non possint, — mendacium est in doctrina veritatis]. Apoc. III [11]: *Tene quod habes ne alius accipiat coronam tuam*.

95. Dicere animam esse aeternam cum Deo, — haeresis Socratis est.

96. Dicere animam esse de substantia Dei, — haeresis est Manichaei.

97. Dicere quod mater quinque puerorum virgo possit esse, — haeresis est Ioviniani.

[In manuscriptis A et B Compilationi huic adduntur sequentes errores 24 eorumdem haeticorum; quibus servata est etiam numeratio praefixa a PREGER, loc. cit.].

217. — 1 [98]. Primo dicunt quod quilibet homo, quantumcunque peccaverit, possit uno anno praeellere dignitatem et meritum sancti Pauli, sanctae Mariae Magdalenae, sancti Ioannis Baptistae vel cuiuslibet alterius sancti et etiam Genitricem Dei, vel ipsum Iesum Christum.

2 [99]. Item quod nullo modo sit, Iesum Christum vulneratum fuisse vel etiam in passione doluisse.

3 [100]. Item quod tantum uniri possit Deo, quod de cetero quicquid faciat homo non peccet.

(94) Item quod ... in doctrina veritatis, *deest in M.*

4 [101]. Item quod non sint angeli nisi tantum virtutes hominum, etiam quod non sint daemones nisi vitia et peccata hominum.

5 [102]. Item quod non sit infernus.

218. — 6 [103]. Item [quod] omnis creatura plene sit Deus.

7 [104]. Item quod angeli non cecidissent si debito modo cum Lucifero in conspiratione processissent.

8 [105]. Item quod homo unitus sicut ipsi uniuntur, non teneatur deferre honorem vel reverentiam sanctis, vel diei diem praeferre in ieiuniorum observantiis et similibus.

9 [106]. Item quod unitus Deo audacter possit explere libidinem carnis per qualemcumque modum, etiam religiosus in utroque sexu.

10 [107]. Item quod non sit resurrectio credenda.

219. — 11 [108]. Item [quod] bonum hominem non oporteat confiteri peccata sua quamvis magna, sed tantum recitare alteri bono homini, vel coram Deo in secreto cordis sui dicat: Ego peccavi.

12 [109]. Item quod dicunt, se in elevatione Christi vere ibidem levari; et quod stando vel surgendo reverentiam exhibeant sacramento, hoc faciunt ne scandalizentur homines.

13 [110]. Item quod homines impediant et retardent perfectionem et bonitatem per ieiunia, flagellationes, disciplinas, vigiliis et alia similia.

14 [111]. Item quod homines non debent insistere laboribus, se[de] videre et vacare quam suavis sit Dominus.

15 [112]. Item quod orationes non valeant quae fiunt infra opera manualia hominum.

220. — 16 [113]. Item quod licite et absque peccato et timore possint retinere rem alienam invito domino [*deest in B.*].

17 [114]. Item quod absque peccato in secreto comedant quotiens volunt et quicquid habent.

18 [115]. Item quod non sit necesse in confessione gesta dicere peccatorum, sed sufficere dicunt sic dicere: Peccavi.

19 [116]. Item quod non debeant revelare viris litteratis gratiam quam habent, quia nesciant quid sit, non recognoscentes nisi per pellem vitulinam, ipsi vero per experientiam, qua surgere se dicunt de dulcedine divina.

20 [117]. Item quod non timeant nec doleant si labantur in peccata qualiacunque, quia Deus praeordinaverit et quod praeordinationem divinam nullus debat impedire, et quod de malo tantum gaudeant quantum de bono, et quicquid homini evenerit, quod Deo praeordinante fiat et sit.

221. — 21 [118]. Item quod nunquam cogitare debent de passione Iesu Christi, qui volunt perfecti apud eos fieri.

22 [119]. Item quod peccata commissa non debeant recogitare cum

amaritudine et dolore, similiter dies elapsos in vanitate, quia per talem dolorem gratia ipsorum plenior retardatur.

23 [120]. Item quod sanguis boni hominis, sicut sunt ipsi, vel superfluitates suae, si posset etiam credi, ita reverenter deberet venerari sicut in altari corpus et sanguis Iesu Christi.

24 [121]. Item quod libertas mala, et quies et commodum corporale faciant locum et inhabitationem in homine Spiritui Sancto.

[1296, 1 augusti] **Bonifatius VIII, Bulla *Saepe Sanctam Ecclesiam.***

(RAYNALDI, anno 1296, n. 34; *Bull. Taur.*, t. 4, 134)

222. — ... Accepimus namque, quod nonnullae personae se contra sanctam catholicam ecclesiam Romanam erigentes, etiam sexus feminei, dogmatizant se ligandi et solvendi claves habere, paenitentias audiunt et a peccatis absolvunt, conventicula non solum diurna faciunt, sed nocturna, in quibus de suis pravitatibus conferunt, et de erroribus conveniunt in idipsum, et praedicare praesumunt; tonsura clericali contra ritum Ecclesiae abutentes, Spiritum Sanctum se dare per impositionem manuum mentiuntur; et exhibendam soli Deo [reverentiam?], et non alteri cuiuscumque fuerit conditionis, dignitatis et status. Efficaciores etiam illas orationem affirmant, quae a nudatis toto corpore offeruntur; mulieres invicem se desponsant; dicunt fidelibus operari manibus non licere; mares nudi huiusmodi sectae damnatae feminas antecedunt; et in dicta Sancta Ecclesia ligandi atque solvendi fore abnegant potestatem; non solum praemissis, et aliis novis invidiis obvoluti quibus erronee adhaerentes, ipsa sustinent et defendunt, sed et nonnullis erroribus, quos vetustas damnata produxit; inter quos aliqui esse dicuntur apostatae, qui professi fuerant in ordinibus approbatis ...

Quapropter huiusmodi sectam tam haeticam quam insanam, de fratrum nostrorum consilio omnino damnantes, damnatam et haeticam nuntiamus. ...

XXIII. — PROPOSITIONES DAMNATAE A STEPHANO TEMPIER.

[1277, 7 martii]

223. — *In longa serie propositionum omnis generis quas damnavit Stephanus Tempier episcopus Parisiensis et quarum maxima pars*